



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

9. Cur Virgo?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

contra Ætolos, Ennio comite, bellavit, *Martis* manubias *Musis* consecrasset.

IX. (i) Minerva, quod diximus, *Virgo* est, & *Musæ* sunt *virgines*. In litteris divinis *Mundis corde* promittitur *aspectus Dei*. Matth. 5. quæ opinio ab Ethnicis quoque imbibita, negantibus, aliis, quam pudicis oculis posse Deum videri. Et videtur id natura in apibus docere voluisse, in quibus ingenium ac solertia cum virginitate conjuncta est. Taceo Nazianzenos, Thomas Aquinates, Catharinas, Joannes Evangelistas, & innumeros alios, in quibus flos castitatis cum flore doctrinæ certavit. Nec frustra narrant fabulæ, *Tiresiam*, vatem Thebanum excacatum fuisse, quod aciem mentis hebetarit, dum oculos parùm pudicos adjecerit ad Minervam, in *Hippocrene*, Heliconis fonte lavantem. Facit ad propositum, sacrum proverbium: *Qui diligit cordis munditiam, amicum habebit Regem*. Prov. 22. Supremum scilicet rerum Dominum, qui cum sit spiritus purissimus, amat sibi similes. *Sus Minervam*, adagiò fertur, non idè tantùm, quod illitteratis nullum certamen sit cum doctis suscipiendum; sed quia nihil est commercii castissimæ deæ cum porcis, in cœnum libidinis abjectis. De Gregorio Nazianzi Præsule (quem laudavimus) historiæ recensent, ei pariter sese videndas, & domum ducendas, *Sapientiam* ac *Castitatem*, virginum formâ ac habitu obrulisse, adeò sorores hæc mutuo delectantur consortio. Jam quid stolidius, quam quòd Marco Antonio, illi Triumviro Romano, Athenienses Minervam suam magna cum dote desponderint? *Senec.* lib. 1. *Suasoriar.* Et an major illa fatuitas, quam Domitianum, testante Suetonio c. 22. Minervæ *filium* dici, credique voluisse, omniâque ex eius deæ agere consilio? sed ô monstra scelerum! quid vobis impurissimis libidinum mancipiis est negotii cum dea integerrima? Claudio hæc cum voto, adversus lascivum Cupidinem, & recino illud. *Æneid.* 11.

Armipotens belli præses, Tritonia Virgo,  
Frangere manu telum Phrygii prædonis, & ipsum  
Pronum sterne solo!



Z z z

SYM.

(A) Sapientia & Castitas Sorores.